



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. LXXXI. De Conflictu in terra Curoniae ubi CL. fratres & multi de
populo Christiano interfecti ceciderunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

*Poppo de Ostera VL. Magister Gen. Ord. Teut.
Hartmannus de Grunbach V. Mag. Prussiae Provinc.*

Georgii quod tum fuit summè necessarium ad incrementum fidei Christianarum: quo aedificatio, relictis ibi fuerunt viri legales & experti in armis, fratres & armigeri de Pruschia & Livonia pro custodia dicti castri.

ANIMADVERSIO.

(a) Carsovia, Curoniae fuit Provincia, ut ex cap. seq. probatur. Matthias Strykoroski Alostevicius per Caryones Venedarum populos apud Ptolemæum, intelligi putat Curonos. *lib. II. Hist. Litv. cap. VI.* quod tamen dubium est. Primus qui Curorum facit mentionem, est Auctor Vitæ S. Anscharii Apostoli septentrionalium gentium, apud Adamum Bremensem Sec. XI. Scriptorem *in lib. de situ Daniae cap. 76. p. 146.* Vixit autem Anscharius Sec. IX. sub Ludovico Pio Imp. ipse Adamus hanc provinciam disertis verbis appellat Curlaud. *l. c.* Vid. & Joan. Loccenius *lib. III. Antiquit. Sveo-Goth. cap. ult.*

CAP. LXXXI.

De

Conflictu in terra Curoniae ubi CL. fratres & multi de populo Christiano interfecti ceciderunt.

Anno Domini MCCLX. Fratres de Livonia & Pruschia cum validis exercitibus ad deferenda victualia Fratribus de castro S. Georgii convenerunt, & dum appropinquarent huic castro, venit nuncius qui dixit, quod IV. millia Lethovinorum vastassent quandam partem terræ (a) Curoniae per incendium & rapinam, & effusionem multo sanguinis Christiani, & mulieres & parvulos captos cum multa alia præda.

Anno Domini MCCLX. Rex Ungariae Regem Bohemiae in bello aggreditur, cum diversarum Nationum XL. millibus equitum; cui Rex Bohemiae cum centum millibus equitum &

se-

A a

da

*Poppo de Osterna VI. Magister Gen. Ordinis Teut.
Hartmannus de Grunbach V. Mag. Provinc. Prussia.*

septem millibus dextrario- rum coopertorum, occur- rit. Cum hi insultum si- mul facerent, tantus pul- vis surrexit, ut in media die homo hominem vix a- gnoscere possit. Tandem Rege Hungariae graviter vulnerato, ipse cum suis fugit, & in quodam fluvio prater occisos XIV. millia hominum de Ungaria sunt submersa.

da deduxerunt. Quo audito dum fra- tres & totus exercitus se prepararent, ut animas Christi sanguine redemptas de manibus hostium liberarent, quidam de Pomesania Nobilis dictus (b) Macto fi- lius Pipini, dum ab eo Fr. Henricus Mar- schalcus quæreret, quomodo aggredien- di essent hostes, ait, relinquamus equos nostros longè à nobis, ut non sit nobis spes redeundi ad eos & accedamus pede- stres ad ipsos, sicque populus destitutus auxilio equorum, manebit in prælio, aliter infugam sine dubio convertetur, cui consilio militia Regis (c) Dacia, de Revalia, & plures alii contradixerunt asserentes, quod propter gravedinem armorum non possent durare in bello sine equis. Quo facto venerunt Curonenses petentes humiliter, quod si Deus daret Christianis victoriam, & tunc eis mulieres & parvuli liberi red- derentur, quorum precibus licet fratres satis fuerant inclinati, communis tum populus Pruschia & Livoniae contradixit asse- rens, quod de captivis eorum fieret secundum consuetudinem in bello hactenus observatam, & quare Curonenses tantam conceperunt indignationem contra fidem & fidelium turbam, quod dum Fratres inciperent Lethovinos impugnare, ipsi tanquam apostata à tergo Christianos hostiliter invaserunt, & percutien- tibus Lethovinis ante, Curonensibus retro, totus quasi popu- lus terræ, derelictis ibi Fratribus, & eorum fidelibus recessit. Ex tunc quidam Nobiles de Pruschia fideliter Fratribus adhas- erunt, quorum unus de Quedenovv Sambita (d) Sclodo Pater Nalubi, convocans suos consanguineos & amicos, ait: Hodie re- ducite

*Poppo de Osterna VI. Magister Gen. Ord. Teut.
Hartmannus de Grunbach V. Mag. Prussiae Provincialis.*

ducite ad memoriam venustatem vestium, quæ vobis per fratres sapius sunt oblata, & pro amœno ipsarum colore permittatis hodiè vestem corporis vestri sanguine vulnorum rubricari, & pro dulcedine medonis seu mellicrati, quod de manu ipsorum sapius sumpsistis, bibite hodiè amaritudinem diræ mortis in confessione veræ fidei aternæ Trinitatis. Hoc facto interverunt viriliter conflictum, & tanquam alteri Macchabæi pugnauerunt, factumque est ibi grande bellum, ex utraque parte pluribus cadentibus, tandem post longam altercationem habitam inter eos fratres permittente Domino victoriam perdidderunt, quia tota virtus exercitus sui per fugam omnis populi fuerat enervata, cecideruntque in illo conflictu in die B. Margarethæ in terra Curonensi in campo juxta fluvium Durbin frater (e) Burgardus Magister Livoniæ & frater Henricus (f) Botel Marschalcus Pruschia, & cum eis CL. fratres, & de populo Dei tanta multitudo, quod eorum numerum non audivi. Post hanc stragem hostes secuti sunt populum fugientem, qui adeo meticulosus factus fuit, quod tres vel quatuor hostes centum Christianos occiderent, aut cum magna verecundiâ fugarent; Ecce quomodo confortati sunt inimici nostri in multitudine spoliorum, equorum & armorum, qui de manibus tot millium occisorum rapuerunt & nunc gloriantur in Virtute suâ. Contere ergo DEUS fortitudinem illorum, & disperge illos, ut cognoscant, quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu DEUS noster.

ANIMADVERSIONES.

(a) Curoni olim parebant Svedis, deindè etiam Danis. Sed cum oppugnarentur à Livonicis Cruciferis ac Christiana Sacra recipere cogerentur, subjecerunt se Mendogo Lithvanorum Duci. Hic verò cum ad Religionem Christianam suscipiendam à Cruciferis Li-

*Poppo de Osterna VI. Mag. Generalis Ord. Teut.
Hartmannus de Grunbach V. Mag. Prusie Provincialis.*

vonienfibus eſſet allectus, & in Regem Lithyanorum coronatus, ut vicem Cruciferis rependeret, ceſſit jure ſuo, quod habuit in Curoniam. Sed poſtea ad Ethnicifmum relapſus, Curoniam hoſtiliter ferro & igni vaſtavit; de quo noſter Duſburgius in hoc Capite. *Vid. Balth. Ruſſovv Part. II. Chron. Livon. Albert Wijuk Kojalovvicz part. I. Hiſt. lib. IV.*

- (b) Macce appellatur aliàs, ſive Matte. Id verò oritur ex confuſione literæ c. & t. quæ in Duſburgio frequens eſt. *vid. Cap. VII. ſiv.*
- (c) Rex Daciæ ſive Daniæ tunc tenuit Æſtoniam in Livonia. Huic Cruciferis opem tulit ex pactis *Vid. inf. cap. CCCXXXVI.*
- (d) *Ecce ab aliis vocatur.*
- (e) Burchardus von Hornhuſen.
- (f) Botte habet Jerofchinus & Auclor Chron. Antiq. Germ. in Bibl. Electorali Regiomontana.

CAP. LXXXII.

De

Prænoſticatione hujus Belli.

FRater Hermannus dictus Sarracenus cum de Caſtro Kuningsberg cum aliis fratribus ad bellum Curoniæ prædictum procederet, B. Virgo Maria apparens ei dixit: Hermanne ego ad Convivium filii mei te invito. Unde idem Fr. Hermannus dum recederet, dixit quibusdam fratribus: Valetè, à modo me non videbitis, quia virgo Dei genitrix me ad æterna gaudia invitavit.

AD IDEM.

Fuit in partibus Almanniæ Deo devota mulier in quodam ineluforio, quæ fuit ſoror Fratris Conradi de Wuzvvangen, qui poſtea fuit Magiſter Generalis Domus Teutonicæ, cui Dominus apparens, oſtendit ei hanc ſtragem in quadam viſione. Vidit